Quæstio medica proposita
. . . .
tueri conabitur. D. Josephus
Gros. san-Remigiensi
pro Doctoratu

G156/P

QUÆSTIO MEDICA PROPOSITA

AB ILL. AC NOB. D. DOMINO
JOSEPHO TRIMUNDO
BRUN,
Doctore medico Aggregato, Regente Ordinario, ac Profeſſore primario.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An mutanda nutrix cui fluunt menſtrua.

Quam pro altero ex punctis ſibi ſorte aſſignatis, Deo favente & auſpice Dei-parâ tueri conabitur. Nobil. D. JOSEPHUS GROS San-remigienſis diœceſ. Avenionenſis Medicinæ licentiatus, in magnâ Cancellariæ aulâ Palatii Archiepiſcopalis die mercurii 8. Auguſti 1719. à ſeptimâ ad meridiem.

PRO DOCTORATU.

AVENIONE,
Apud JOANNEM DELORME, Typog. & Bibliop.

M. DCC. XIX.

61561/P

QUÆSTIO
MEDICA

An mutanda nutrix cui fluunt menſtrua.

I

VANA umbra & vapor eſt hominum vita ; vix nati moriuntur , nihilque ſtabile ac perenne in hoc tractu ſublunari. Quibuſdam felicior conceditur vita , pluribus infelicior. Proſperam rebus in omnibus fortunam nemo vivens expectet : mortalibus ſi quæ ſit felicitas , nulla ſanitate major ; ſine eâ nec regibus regna ſuavia , nec ducibus fortitudo glorioſa , nec eruditis jucunda ſapientia. Ut in aliis rebus , ita in ſanitate finis pendet ab origine. Qui malè

ſanis ortus parentibus, aut qui pravæ nutricis lactè fuit educatus, vigere diù nequit incolumis, brevique parentum aut lactantium pœnas luet. Quis univerſum hominum genus ſuſpiciet, miſeram eorum ſortem non lugens: alios mærore & triſtitiâ conqueri, alios doloribus & morbis affici videbis; plures diſtortos, claudicantes, gibboſos, pætos, ſtrabones, lippos, varos, valgos; ſcauros, aut alioqui deformes obſervabis. Tot malorum cauſas inquirenti, has ſæpè à parentibus, ſæpiùs à nutricibus repetendas eſſe patebit. Non enim ſolùm morbi & mores patrum ad ſobolem traducuntur, ſed cum lactè quidquid boni aut mali in nutricibus eſt, id totum in tenellulum puerorum corpus infunditur. Nutritio altera eſt quaſi natura, vel novam inducit: & quemadmodum arbores & plantæ è nativo ſolo in aliud exportatæ ob diverſum quem aſſumunt ſuccum ferè indolem mutant, vixque ſimiles apparent, ita puer è ſinu materno ad nutricis mammas delatus aliam quaſi induit naturam, & pro variâ nutritionis indole aut feliciter alitur & creſcit, aut ſemina morborum & vitiorum innocens ſugit. Hocque non in hominibus ſolùm, ſed

in brutis etiam quotidiana evincit experientia. Si ovium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur, conſtat in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. Undè maximum ſanitatis & vitæ opus in hoc poſitum eſſe videtur, ut quam primam aſſumit puer nutritionem, convenientem accipiat, nullisque pravitatibus inquinatam. Ubi ex naturæ votis in lucem fuit editus infans, quaſi nova fit machina; ſpirat, diverſa datur ſanguinis circuitio; vaſa umbilicalia quibus nutritionem antea repetebat, ligamenta fiunt; foramen occluditur ovale, & nutritio alia, alioque modo peragitur. Quâ in re ſolertia naturæ maximè evidens eſt; quod poſtea quam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, adventante jam partûs tempore in ſupernas ſe partes profert, & ad fovenda vitæ rudimenta præſto eſt, ac recens natis notum, familiarem, & medicamentoſum victum offert. Tanta enim uterum inter & mammas intercedit ſocietas & cognatio, ut quæ tot annos otioſæ fuerant partes ſuo ſimul officio aſſueſcant & in bonis ac malis mulierum rebus ſe ſe afficiant mutuò. Sic attrectatis quomodolibet mammis;

ſtatim ſopitus genitalium ignis accenditur, & jacent mulieres totis reſolutæ medullis. Sic in gravidis flacceſcentes mammæ brevi futuram abortionem prænuntiant. Sic deniquè utero gerentibus attolluntur, creſcunt, tument, ac tandem in iis nutritius quidam liquor quem ore unâ cum matris moribus aſſumet infans à naturâ minimè novercâ, ſed optimâ parente præparatur.

II.

NATUS infans probæ tradatur nutrici, cujus ætas, temperamentum mammæ, & lac puero conveniant. Mater cuivis aliæ nutrici præferenda, & hujus lac non nihil etiam deterius puero magis eſt ſalutare. Hoc ſanè contra naturam videtur matrem ſui genus peperiſſe, ac ſtatim ab ſe ſe abjeciſſe; aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid quod non videret; non alere nunc ſuo lacte quod videat jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem. Si matri lac defuerit, in ſubſidium veniat nutrix, hinc quantùm poterit fieri ſimilis, vel eâ ſanior, ut inde convenientiorem puer aſſumat, & abundantiorem nutricationem, validiuſque temperamentum induat. Nutrix debet eſſe

temperata, mediocriter carnoſa, ſtaturæ mediocris, grandioris potiùs quam parvæ, temperamenti ſanguinei non bilioſi: ſubnigra ſit, ſed formoſa, flava minùs bona, rufa quælibet abjicienda; facies illi ſit hilaris; amplum pectus, ſpiritus liber, ab omnibus animi pathematis vacuus, dentes penè eburnei, hique non vitiati, ad riſum proclivis mærorem, triſtitiam, ac iram fugiat, veneri tamen & baccho non indulgens. A vigeſimo quinto ad trigeſimum quintum ætatis annum nutriat mulier; infra vel ultra hæc tempora debilior, aut nutritionem ſibi, aut puero detrahit. Procul abſit morbi aut infirmitatis cujuſcumque mala ſuſpicio, legitimis orta ſit parentibus, nec calculo, nec arthritidi, nec ſcrophulis, nec epilepticis aliiſque hæreditariis affectibus obnoxiis; luis venereæ aut morbi alterius invenuſti nequidem adſit dubitandi locus; cave etiam ne utero gerat, gravidæ mulieris lac ſemper vitioſum eſt. Obſervetur inſuper utrùm illius functiones ritè peragantur & abſolvantur, an vigeat appetitus, an tranquillus ſomnus occupet artus, an denique mens ſana præluceat in corpore ſano. His gaudens privilegiis mulier optima nutrix cenſenda, nihilque præ-

terea optandum, niſi ut lacte & mammis convenientibus perficiatur. Mammæ, lactis officina, ſtructuram habent, figuram, & ſitum generationi lactis apprimè convenientem. Innumeris conficiuntur glandulis membranâ obvolutis, adipe multo refertis, vaſis ſanguineis undequaque irroratis; illæ liquorem ſecernunt ad papillam pluribus foraminibus perviam protrahendum, quâ tanquam è fonte lac commodè tenellulo infantis ori inſtillatur. In anteriore thoracis parte ſitæ ſunt, ut cor calore ſuo earum actionem promoveat, ac ſuâ viciniâ acceleret. Mammæ expetuntur craſſiuſculæ, non præmagnæ, duriuſculæ non molles, aliquantulùm pendulæ, & juſto ab invicem interſtitio diſtinctæ. Ad lactis qualitatem quod attinet, optimum cenſetur quod odore ſuave, guſtu jucundum, colore albeſcens, non ſpumoſum, conſiſtentiâ nec tenniore nec craſſiore præditum eſt. Vix tamen optatam affert lactenti ſanitatem, ſi largiori non affluat copiâ. A nutritionis defectu puerorum corpora ſenſim marceſcere aut tabe confici videas. A pravâ lactis indole aphtæ, vomitus, diarrhææ, convulſiones, febres, tuſſes, tormina, calculi, rachitis, lumbrici, aliaque innu-

mera oriuntur mala quæ Medicinam neſciunt. Lac generare nulla fæmina poteſt, niſi quæ matura viro ac proſtituta virginitatis florem cum ſpirante fructu conjugii commutavit. Graviditatis tempore præparantur mammæ, aliæque lactis viæ miro artificio aperiuntur. Lac à chylo prodire probant ſuperſtites in lacte alimentorum odor, color, ſapor, & purgantium vires: utrùm verò rectà è vaſis chyliferis ad mammas perveniat, vel ſanguini permixtum rursùs per mammarum glandulas ſeparetur, quæſtio eſt conjecturis adhuc & ratiocinationibus diſcutienda, donec experimenta & obſervationes veritatem aperſerint. Ut ut ſit: cùm ingeſtorum naturam lac redoleat, curandum ut optimis cibis alatur nutrix, ut pravos fugiat, ſalibus conditos vitet, vel nimiùm Balſamicos. Lac ritè præparatum non ſolùm cibi potûſque, ſed etiam medicamenti locum obtinet & non modò pueris utile eſt, ſed quibuſdam inſuper prodeſt affectibus chronicis; pluribuſque venenis, velut antidotus efficaciſſima obſiſtit. Hæc omnia in nutricibus ſolent requiri; quibus unum addi velim, quod plurimùm ad lactantis perfectionem & lactentis ſanitatem conducit, ſcilicet ut mulier nutriens ob-

noxia ſit menſtruo profluvio, quod, licet plurimas inter nutrices paucis accidat, innumera tamen affert bona, & abſolutam omnibus ſuis numeris & partibus conſtituit nutricem.

III.

SOLA mulier ſi ſimiam exceperis animal menſtruale eſt. Qui per uterum ſingulis menſibus excerni debet ſanguis, conceptionis tempore cohibetur; non tamen exiſtimandum hunc nutritioni infantis inſervire, aut ex eo coagmentari fætum & vivere: ſingulorum menſium ſanguinis in vaſis & ſpongioſâ uteri ſubſtantiâ coacervatur poſt partum foras amandandus lochiorum nomine; ideòque dum ſenſim extenditur & ampliatur uterus, ut hoſpitium ſe ſe accommodet hoſpiti, miro ſimul artificio denſatur & craſſeſcit. Non ergo ſanguis maternus fætui præbet alimentum, aliam placenta ſuppeditat nutritionem ſanguine puriorem, puero convenientiorem. Eundem menſtruorum ſanguinem poſt partum in lac converti, & editis in lucem infantibus alendis inſervire excogitarunt plurimi; nutricem itaque menſibus obnoxiam rejiciendam eſſe au-

dacter pronunciarunt. Verùm neque in utero, neque extra uterum virus menſtruum in nutritionem pueri cedere nequit; illiûs corpus in vitium flecti certum non pravo, non venenato indiget cibo, quin potiùs exquiſitum, balſamicum, & temperamento delicatiſſimo magis accommodatum à naturâ repetit. Fluere deſinunt menſes pleriſque in nutricibus, quod chyli major pars in mammis ſeparetur ad infantis nutritionem, minori verò copiâ cum ſanguine fluat, ita ut non inducatur plethora, vera genuinaque menſtrui profluvii cauſa. At ſi mulier eo ſit corporis habitu ut Semper vigeat appetitus, ut alimentorum digeſtio ritè perficiatur, ut validæ & ſanæ omnes corporis partes majorem chyli quantitatem elaborent, quam infanti & matri neceſſarium eſt, ut denique reſiduus à nutritione ſanguis menſibus ſingulis excernatur; nonne hæc optima nutrix cenſenda, nonne hæc eligenda, & cuivis aliæ cui non fluunt menſtrua præferenda. Qui periodicos ſanguinis fluxus fermento in uteri receſſibus nidulanti tribuerunt, nutrices menſtrua patientes calidioris naturæ, & ad venerem proniores, ideòque minùs bonas putarunt. Sed fictum hoc fermentum, ficta hæc

ad libidinem propenſio. Amaſones, ruſticæ, quadratæ mulieres, & quæ plurimo turgent ſanguine catameniis laborant durius nutriunt; debiles verò, exangues & delicatulæ menſibus carent & lacte. Quæ congruis temporibus unà cum ſanguine excerni debuerant impuritates, in corpore ſtagnantes, innumeros inducunt affectus ſolo menſtruorum reditu ſanabiles. Licet mulier mammis infantem nutriens minùs abundet ſanguine & impuritatibus, quædam tamen efformantur quæ diù latentes, & progreſſu temporum auctæ, novas tandem edunt tragædias quibus mater puerque afficiuntur. Hæc omnia eludet mala quæ viro menſtruo purgabitur nutrix; ſanguis ita purior factus in omnibus prælucebit partibus, adveniensque chylus nullis coinquinabitur vitiis, & in mammis ſeparatus nutritioni infantis inſerviet & ſanitati.

IV.

PERIODICOS mulierum fluxus inquirentes, alii lunæ influxum, alii fermentum in utero latitantem accuſarunt. Utrumque fictitium credimus. Mulieres humidiori ſunt temperamento, & minus perſpirant; inde creſcunt vi-

ris citiùs & veneri citiùs ſunt aptio ſuccorum ergo abundantia accuſanda. Quæ inter fæminas edaciores ſunt, & magis otiantur, ut aulicæ, copioſiori, diuturniorique laborant fluxu menſtruo aut a vitiatis menſibus vitreæ ſunt valetudinis. Hanc vacuationem ab utero potiùs quàm ab aliâ corporis parte fieri debere probat ipſa uteri ſtructura: trunci enim aortæ deſcendentis diameter major eſt in mulieribus: millemodis innumeræ arteriæ & venæ contorquentur in utero nec adipe nec valvulis diſtinctæ, hinc in utero major ſanguinis copia, hinc ab utero fluxus menſtruus. His fluentibus mammæ flacceſcunt, corporis habitus marceſcit, dejiciuntur vires, languet appetitus, faciei color roſeus evaneſcit, concavi fiunt oculi, corpus odorem ſpirat gravem, uno verbo veluti morbum patitur mulier; his verò deſinentibus pulchrior revireſcit, & non modo corpori univerſo color & ſanitas reſtituuntur, ſed interna etiam pravis humoribus purgata meliùs ſe habent, omneſque functiones & actiones vitæ rectiùs peraguntur & commodiùs. Gravidis & lactantibus manare ceſſant menſtruæ purgationes, quibuſdam tamen fluunt ob peculiare & validius tempera-

...itum. Virginibus ſi cohibeantur; pica, malacia, pallidi colores, icterus, cachexia, hydrops, aliique oriuntur morbi qui curationem non admittunt, niſi menſtruâ periodo exuperans & vitiatus ſanguis per uterum veluti per corporis ſentinam excernatur. Menſium ſuppreſſio ab obſtructionibus plerumque provenit, ſæpè ab ſchirro, tumore, vel abſceſſu interno prodit, interdum ſanguinis aut humorum vitiis eſt tribuenda. Quæ delicatioris ſunt temperamenti & naturæ imbecillioris, quæ pravis utuntur cibis, quæ crudis oleribus, lacticiniis, fructibus immaturis ventrem infarciunt, quæ aquâ liberaliùs epotâ ſitim ſublevant, huic affectioni potiſſimùm obnoxiæ deprehenduntur. Quæ autem integrâ fruuntur valetudine, & optima aſſumunt alimenta ſingulis menſibus ſolent expurgari. Hinc menſtruorum defectus tàm in virginibus quàm in mulieribus & nutricibus lubricus eſt, horumque ordinatus fluxus firmam & incolumem indicat ſanitatem.

V.

VT flos fructum ſic ferè conceptum prænuntiant catamenia. Quæ ſtatim à menſtruâ purgatione concipiunt

mulieres, fætum plerumque robuſtiori ferunt, minùſque gravidæ laborant. Si fluant menſes ingravidationis tempore, matris puerique ſanitas non erit in tuto: non item evenit in lactantibus inter quas menſtruo profluvio obnoxiæ aliis omnibus præſtant. A plethorâ hunc prodire fluxum certum eſt; nutrix quæ præter alia requiſita plethorico gaudet & athletico corporis habitu nonne optima cenſenda. Licet minor lactis copia in mammis ſecernatur menſtruis fluentibus, alendo fætui ſufficiens eſt, vel ſi aliquantulùm per dies aliquot deficeret, non ideò minùs benè ſe ſe puer haberet; quin imò tenellulæ & delicatulæ illius partes copioſiori cibo non onuſtæ tunc temporis fierent validiores, & abſolutis omnibus internis coctionibus atque digeſtionibus, aſſumendo novo, abundantiori, & convenientiori lacti aptiores evaderent. Hallucinantur plurimùm qui lac vitioſum putant, dùm excernuntur purgationes periodicæ; etiamſi corpus hâc vacuatione aliquantiſper affici videatur, non inde ſequitur ſanguinem & humores pravâ coinquinari indole, ſed quodcumque impurum in iis eſt, ad uterum tendit, & excernitur; quod verò purum eſt in

corpore remanet, ubi bonorum omnium fontem uberrimum affert. Nutrix itaque, quantùm fieri poteſt menſtrualis eligatur. Integræ valetudinis ſignum certius haud ullum datur. Quam multæ intùs ſordent quæ foras ſplendent. Res in tuto erunt ſi nutricem menſtruis benè reſpondentibus obnoxiam obtuleris; ea ut laudabiliori ſanguine, ita & ſinceriori lacte gaudebit.

Non ergo mutanda nutrix cui fluunt menſtrua.

FINIS.